Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 323
Quelle:
Copyright:

te &c. ut in Edit. *Maur. ſupracit.* a qua differt Exemplum noſtrum in eo, quod *Viſionibus* ſingulis tota illa *Apocalypſeos* portio praemiſſa ſit, quae in ſingulis explicatur. Lectio ceterum ſatis congruit. Ad calcem nobis praeterea duo adtexuntur: 1) Hymnus de XII. Gemmis Apocalypticis, qui inſit:

Cives celeſtis patriæ
Regi Regum concinite

atque legitur in Expoſit. *Apocal. Anſelmo Laud.* tributa in Edit. *Opp. Anſelmi Cant. Colon.* 1612. T. II. p. 506. f. cum proſaica Expoſitione allegorica harum Gemmarum depromta e *Gloſſa ordinaria Walafr. Strabi.* 2) Introductio in *Apocalypſin*, cujus initium: *Apocalypſis hæc inter reliquos noui teſtamenti libros prophecia uocatur, ſed aliis excellentior prophetis* &c. Et ipſa collecta e mox dicta *Gloſſa*, ut conferenti cum *Bibliis* gloſſatis patebit.

CCXX.

R. 67 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 102. minute, ſed nitide ſcriptus, rubricis enotatus, et olim *monachorum congregationis ſanctæ iuſtinæ de padua deputatus monaſterio ſancti Seuerini de neapoli*, ut *fol.* 2. dicitur, eſt *Expoſitio Apocalypſeos* temporum injuria tam male habita, ut membranis partim putredine corruptis, partim evanidis dimidiae ſaepe paginae legi amplius haud poſſint. Atque haec labes praecipue initio accidit, ut e miniato Prologi titulo, qui fortaſſe Autoris nomen enunciabat, nihil reſtet, niſi: *Incipiunt enu — —* (cleationes?)

Qui eſt ſupremus opifex
Ciuitatis uranicæ &c.

Incipit Prolo — —. Nihil paene intentatum liqui, ut ſuo foetum hunc parenti redderem, verum irrito conatu. Adſcribam igitur locum *fol.* 52. p. 2. de Numero Beſtiae ad *Apoc.* XIII. 18. qui fortaſſis alteri dux ſit felicior. *Audiamus ergo nominum interpretationem. Ipſe* (Antichriſtus) *uocabitur arnoime, quod interpretatur nego* (ἀρνέομαι) *quod illi competit, cum ſe dei filium fecerit, et uocabitur antemos,* (ανϑ' ἐμοῦ?) *quod interpretatur contrarius bonor. Quicunque enim negat chriſtum, bonorem quærit chriſti contrarium, et uocabitur tytan id eſt, ſol, uel gigas id eſt, fortis dicitur, quod nomen ſibi fallaciter antichriſtus uſurpat, affirmans de ſe dictum fuiſſe: Exultauit ut gigas. Et uobis qui timetis deum, uel nomen meum, orietur ſol iuſtitiæ, cum ſit apoſtata angelus in eo, transfigurabit ſe in angelum lucis, et lingua gothorum uocatur genſricos, id eſt, diſſipator gentium et ſeductor; apud latinos uero uocabitur diclux. Dicet enim ſe eſſe lucem illuminantem omnem hominem uenientem in hunc mundum. Fol.* 74. ad *Apoc.* XXI. inſertus eſt *Hymnus* ille de Lapidibus pretioſis: *Cives celeſtis patriæ regi regum*

con-